



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1650

Annotationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9534

P A R S Q V A R T A.
 I N Q V A T R A D V N T V R V A R I A E
 Formulæ Synodales, quæ significatæ
 fuerunt in præcedentibus.

P R O I N D I C T I O N E S Y N O D I.
 Cap. I.

Formula publicandæ Synodi in Festo Epiphaniæ cum Festis mobilibus habetur cum cantu proprio in Pontificali partitæ: initio.

2 *Alia Formula pro eodem die habetur in Actis Eccles. Mediol. nimirum.*

Hoc anno dilectissimi, ad Dei omnipotentis, Beataque Mariæ semper Virginis, ac SS. NN. Patronorum nostrorum laudem Synodus Diœcesana die nisi aliud Episcopali auctoritate decretum fuerit, adiutrice diuina gratia, celebrabitur. Pius igitur vestris precibus instare, vt Ciuitas, & Diœcesis nostra salutaribus vitæ Christianæ institutis augeatur, & suffragantibus eorundem Sanctorum meritis, ex ijs vberiores fructus in dies ferat in Domino. Amen.

3 *Formula Edicti pro indicenda Synodo, ex carem. Episc. lib. I. cap. 31.*

Synodus Diœcesana N. per Reuerendissimum D. N. in dicta hoc anno mense die Deo adiuuante in Cathedrali Ecclesia inchoabitur.

4 *Alia Formula Edicti, ex Actis Eccl. Mediol. & Nouariens.*

N. Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N.

Synodum Diœcesanam hoc anno, Deo iuuante, habituri, vt SS. Patrum instituta, præceptaque sequamur, neq; pereat fructus ille, quem ex ea capere omnes possumus, Monemus in Domino, ac pœnis Sacrorum Canonum, seu alijs ad arbitrium nostrum propositis, iubemus in virtute S. Obedientiæ omnes etiam regulares, qui in Diœcesi nostra beneficia, etiam simplicia, ac cuiusvis generis vel titulo obtinent, vel alijs inseruiunt, & eos item, qui sacris ordinibus ini-

tiati sunt; omnes etiam qui & in minoribus sunt constituti, qui in habitu, & tonsura incedentes alicuius Ecclesiæ seruitio adscripti sunt; & quosunque, qui de iure, vel consuetudine Synodo huius Diœcesis interesse debent, die mensis proximi in nostram Cathedralē Ecclesiam N. conuenire: neque vero pro se alios mittere, nisi qui legitima causa sint impediti, quam nobis probauerint. Volumus autem, vt hæc Synodi indictio affixa valis Cathedralis Ecclesiæ perinde omnes, & singulos interesse debentes afficiat, ac si fuisset singulis singillatim intimata. Dat. &c.

A N N O T A T I O N E S. §. I.

a **I**N Pronincia Mediol. tenentur accedere Subdiaconi, & Diaconi quoque.

b **I**n Diœcesi Perusina, & alijs, vocantur etiã Clerici standum erit locorum consuetudini.

5 *Formula prorogandi Synodum.*

Synodum Diœcesanam, quæ iussu nostro indicta erat die mensis prorogamus dignis de causis, ac differimus ad diem mensis proximè futuram Vel, in diem arbitrato nostro statuendam, & alijs litteris edicendam. Datum, &c.

6 *Formula indicenda Synodi pridie Sessionis primæ.*

Crasina die, quæ erit mensis anni Hora.

Omnes, qui Synodo interesse debent, adsint superpelliceis induti in Palatio Episcopali ad deducendum Reuerendissimum in Ecclesiam Cathedralē.

Qui beneficio obtento, nondum in Synodo professionem Fidei emisit, ferat secum schedulam, in qua scriptum sit nomen, cognomen professuri cum titulo Beneficij, quam, emissa professione, tradet Magistro Actorum Episcopaliū, seu Notario Synodali.

Formula